


In Horto Academico horas transigo meas. Instruxi hortum ut possim ibi alere alio loco muscos, alio plantas palustres, alio fluviatiles et aquaticas.

Plantæ, in sylvis densis vel in umbrâ nascentes, mihi maximum negotium facessere, antequàm inveni ollas inversas utrinquè patulas et rimis à

lateribus hiantes;  sub his possum plurimas et ferè omnes nunc conservare quæ in umbrâ crescunt, uti Linneas, Squamarias, Chondrillas sonchi folia, Chrysosplenïa, Allia ursina, etc.

*Faciem tuam* (sic) carere nequeo; cura, quaeso, ut habeam tuam umbram, qui Virum amicissimum et summum videre nequeo.

Accepi nuper varietatem *Linariae vulgaris*, quæ constanti naturæ lusu semper promit corollas ferè ut *Narcissi lutei*, floribus scilicèt infundibiliformes, regulares, limbo regulari 5 fido, et petalis 5 à lateribus tubi regularibus. Hanc varietatem per 25 milliaria accersiri curavi per hominem qui locum natalem rectà ejus causâ meis impensis peteret.

Adjicio catalogum pl. *Monspeliensium*, ex *Botanico Monsp.* Magnoli, plantas continentem nobis in Sueciâ omninò invisas.